



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtru[m] intentio ministri requiratur in sacramentis? 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

non alligavit ecclesiæ ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntij veritatis, si aliquod sacramentale ministerium à bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate diuina: sicut quadam tēpla dicuntur angelico ministerio cōsecrata. Si verò demone, qui sunt spiritus mendacij, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud quòd faciunt homines inferiori modo, scilicet per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt angeli tamquam superiores ministri, superiori modo, scilicet inuisibiliter purgando, illuminando, & perficiendo.

Ad secundum dicendum, quòd sancti, qui sunt in cœlo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem quantum ad conditionē naturæ, & per consequens neque quantum ad sacramenta.

Ad tertium dicendum, quòd mali homines non habent, quòd possint ministrare in sacramentis, ex hoc, quòd per malitiam sunt membra diaboli. Et ideo non sequitur, quòd diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.

ARTIC. VIII.

Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti?

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti. Minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

¶ 2 Præterea, Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, nõ posset homini ad sacramentum accedenti esse notum, quòd sacramentum

¶ 2 susce-

357
 sup. q. 60
 a. 8. c. Et
 4. d. 6. q. 1
 a. 2. q. 1.
 et d. 7. q.
 1. ad 3. e3
 d. 8. q. 2.
 a. 4. q. 3.
 ad 1. 6
 d. 30. q. 1
 a. 3. ad 3

suscepisset. Et ita non posset habere certitudinem salutis, præcipue cum quædam sacramenta sint de necessitate salutis, vt infra dicitur *.

7.65. a 3
c 4.

¶ 3 Præterea, Intentio hominis non potest esse ad id, circa quod non est attentus. Sed aliquando illi, qui in sacramentis ministrant, non attendunt ad ea quæ dicunt vel faciunt, alia cogitantes. Ergo secundum hoc non perficeretur sacramentum, propter intentionis defectum.

S E D contra est, quod ea quæ sunt præter intentionem, sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorum. Ergo sacramenta requirunt intentionem ministri.

R E S P O N D E O dicendum, quod quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad vnum, si illud effici debeat. Ea vero, quæ in sacramentis aguntur, possunt diuersimode agi: sicut ablucio aquæ, quæ fit in baptismo; potest ordinari & ad mundiciam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiusmodi. Et ideo oportet quod determinetur ad vnum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicit, Ego te baptizo in nomine patris, &c.

Ad primum ergo dicendum, quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus: sed loco intentionis est motus, quo mouetur a principali agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum mouetur, sed etiam quodammodo mouet seipsum, in quantum sua voluntate mouet membra ad operandum. Et ideo requiritur eius intentio, qua se subiciat principali agenti: vt scilicet intendat facere quod facit Christus & ecclesia.

Ad secundum dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro: quæ si desit, non perficitur

aitur sacramentum: sed hunc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum) supplet Christus, qui interius baptizat: in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides & deuotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad vltimum effectum, qui est iustificatio à peccatis: sed quantum ad effectum, qui est res & sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur, quòd per deuotionem accedentis possit suppleri: quia character numquam imprimitur nisi per sacramentum. Et ideo alij melius dicunt, quòd minister sacramenti agit in persona totius ecclesie, cuius est minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio ecclesie, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat ex parte ministri vel recipientis sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualement, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti: puta, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit ecclesia. Vnde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis, perficitur sacramentum. Quamuis studiose curare debeat sacramenti minister, vt etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate: quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare: secundum illud Psal. 39. Cor meum dereliquit me.

ARTIC. IX.

Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti?

AD nonum sic proceditur. Videtur, quòd fides ministri sit de necessitate sacramenti. Sicut enim dictum est *, intentio ministri est necessaria ad sacramenti perfectionem. Sed fides intentionem dirigit: vt August. † dicit contra Iulianum. Ergo si de-

F 3 sit

358

4. d. 6. q.

1. a. 3. q.

2. a. præc.

Id habet

Aug. in

præf. Ps.

31 nō lon-

ge ante

me. to. 8.